



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Sessio V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

ANNO  
CHRISTI  
1409.

tionem. Quod si prædicti duo contendentes, & præfati domini cardinales non comparuerint in dicto termino, ad vltiora procedetur, eorum contumacia non obstante. Ordinavit nihilo minus præsentem ordinationem in valuis cathedralis ecclesiæ affigi publice, vt de præmissis non valeant ignorantiam allegare.

## SESSIO IV.

Qua die Lunæ decimaquinta mensis Aprilis adueniente, Missa ibidem celebrata, & aliis quæ ad diuinum cultum spectant, vt moris est in Concilio generali, vt supra declaratum est, & comparuerunt ambassiatores Ruperti de Bauaria sanctæ sedis imperatoriæ electoris, qui palam publice proposuerunt pro impugnando conuocationem contendentium: secundo subtractionem factam per cardinales suæ obedientiæ: tertio vnionem collegiorum, &c. Quibus auditis: fuit eis dies assignata ad audiendum responsionem super propositis ad vigesimum quartum diem dicti mensis Aprilis: fuitque his non obstantibus processus continuatus, vt supra, vocando ad valuas ecclesiæ, si duo contendentes, aut eorum alter, vel aliquis pro eis esset in hac præfata ciuitate Pisana, vt supra. Quibus non apparentibus, fuerunt reputati contumaces, vt supra, continuando sessionem aliam ad diem Mercurii vigesimam quartam prædictam: quo termino pendente, præfati ambassiatores imperatoris secunda die recesserunt illicentia, & hospite non salutato.

## SESSIO V.

Dicta die Mercurii vigesima quarta mensis Aprilis adueniente, Missa & solennitatibus seruatis, fuit accusata contumacia dictorum contendentium, vt supra: fecitque promotor seu procurator ecclesiæ vniuersalis proponi certos articulos contra ambos contendentes, concludentes plura ad propositum vnionis, & contra dictos contendentes: & requirebat quod darentur commissarii, licet perpetrata essent notoria, pro informatione maiori. Tunc fuit dies assignata ad hoc pro alia sessione, scilicet ad vltimam diem Aprilis.

Bb iij